

colore fulgentem, dorsum, et latera tribus veluti carinis distincta ostendere. Scaliger quoque tria Sturionum genera, in Occa Sarmatiae fluvio tradi scribit, et pretiosissimum illum, qui Bialarybitza vocatur, ponit: sed Herbersteinus Bialarybitzam a Sturionibus distinguit. *Locum si attendas.* In Ponto, et circa Maeotidem paludem frequentissimus est, inde ova in molem coacta, salita, et cadis conclusa, per Turciam et Italianam distrahuntur. Tyrrheno et Adriatico mari si Bellonio fidis, raro visitur.

Major tamen in fluminibus, quae nonnisi quinque aut sex dierum itinere subintrat, quam Oceano, Tiberim si excipias, in quo parvi capiuntur. In Albi (hunc circa Pentecosten gregatim, authore Kentmanno ingrediuntur) capti, ducentas interdum libras, singulas sedecim unciarum, appendunt. Captus tempore Johannis Friderici Electoris sexaginta supra ducentas librarum pondere, quem totidem florensis Princeps redemit. In Ligeri quoque et Rheno delicior. In Tanai, Danubio, Rheno, Tibisco, Vistula, Garumna frequenter capitur. *Cibus* Sturioni non pisces et conchylia, edentulus enim, sed fordes et mucus, quidam sed perperam aëris tranquillitatem ei ad cibum sufficere crediderunt.

Dum escam quaerit, suis more terram sub aquis fodere Isidorus prodidit. Cum branchiis omnino latis careat, naribus refrigeratur, et si quam hauriendo recipit aquam, eandem prono ore statim regerit. De ejusdem Robore, ex relatione Kentmanni ita Gesnerus. Sturio in aqua validissimus piscis est: et in terra quoque cum ventri innititur. Cauda

concussa hominem utcunque robustum prosternit, ubicunque contigerit, perticas etiam magnas et ligna per medium frangit. In terram extractus, lapides aliquando tanta vi cauda ferit, ut ignis exiliat, attritum nimirum ossiculorum, quibus toto corpore mucronatus horret. Quamobrem caute tractandus est a piscatoribus, ne vel crura eis confringat, vel retia disrumpat. Peritiores in aqua captum reti ad ripam impellunt, ita ut rete, non adversum, sed ad latus ei sit: secus enim rete vel sextuplex laniaret. Cum ripam attigere, caput ejus omni contentione in altum levant, et pisces totum in latus declinant: sic enim robore suo nocere non potest. Videtur cum Salmone amicitiam colere. Ducem enim istorum piscatores vocant. Zigam e mari pulsam, per flumina perlequitur, sed frustra. Agilis enim hic et velox praevenit. Tanti olim in cibis apud Romanos, Trajani tempore, + si + *Macrob.* excipias, aestimii, ut cum tibiis, * et *Salmon.* coronis in coenis circumferretur, et * *Arche-*
Galloni mensa, teste Horatio, eo fa- *strat. apud*
mosa fuerit. Mares tamen foeminis *Athen.*
praestant, hae ovis plenae probantur. Poggii, Doctoris Poggii filius, caput commendavit. *Caro* duriuscula est, praepinguis, viscosa, et aegre concoquitur. *Hepar* adeo dulce, proden-
te Alberto, ut nauseam nisi felle tingatur, pariat. Graeci sale inveteratos tribus nominibus insigniunt. *Rachis* ipsis dorsi portio pleura, costae et latera; *hypocelium* alvus cum pube. *Caviario*, quod ex ovis paratur. Graeci et Turcae vescuntur. Iulio II. Pontifici mirifice idem placuit. Paratur et ex *Cyprinorum* ovis in Ju-
daeorum gratiam. *De usu in Medici-*
na nil occurrit. Quae enim de Siluro Plinius, huic vix competit.

CAPVT VIII.

De Galeo Rhodio.

TAB. XXIV.
Aldrov. de
Piscib. l. 4.
c. 20.
TOMUS
De Galeo Rhodio ita scribit Aldrovandus: Rondeletius hunc pisces, cuius modo icon exprimitur, Galeum Rhodium esse eruditissime ostendit, propter maximam ni-

mirum cum Acipenseris sive Sturione similitudinem, non solum quoad corporis speciem et partes, verum etiam quoad gustum, et saporem, dempta, inquit, unica differ-
P rentia,